

Q. B. V. D.
Disertatio Historico-Politica

De

CAUSIS EX- PEDITIIONIS,

à
Serenissimæ Gloriosissimæq; Memorix
Rege

Gustavo Adolpho,

In Germaniam quondam susceptæ,

quam

Præside

Viro Amplissimo atq; Præcellentissimo

DNO. SVENONE DIMBERG,

Mathematicum Professore Ordinario,

In Regia Academia Gustaviano-Carolina,

quæ Dorpati Livonorum est,

publico placidoq; disquirentium examini submittet

Autor & Respondens

GEORGIUS à DUNTE, Rigâ Livonus,

die Januar. A. C. MDC XCI.

DORPATI, Typis Johannis Brendeken, Acad. Typogr.

Serenissimo Principi ac
Domino, Domino

CAROLO,

Svecorum, Gothorum ac
Vandalorum

Principi Heredi-
tario, &c.

Domino Meo Clementissimo.

24 y.

TARTU ÜLIKOOLI
RAAMATUKOGU

234493534

Serenissime Princeps Domine Clementissime.

Dum univēsa Livonia de ista Augustissimi
ac Potentissimi Parentis Vestri, Re-
gis Nostri Clementissimi, gratia, quā su-
am altioribus Musis sedem in his terris restituere
est dignatus, subjectissimas agit gratias; dumq;
illa de Vestra Serenissima Celsitudine,
ceu de Opratissimo Parnassi hujus quondam Nu-
mine tutelari, sibi gratulatur; dabitur venia devo-
tissimo in Vestri cultum animo, qui hos inter
publicos Patriæ plausus hoc, quicquid est gymnas-
matis, veluti aliquas mensis Academicæ primitias,
venerabundus oblatum venire ausus est. Suspi-
cienti enim Serenissimæ ac Gloriosissimæ
Memoriæ GUSTAVI ADOLPHI Regis
propensam in Musas voluntatem, non poterant
non succurrere quoq; illa Invictissimi Herois im-
mor-

mortalia bello facinora, quorum non minùs iustitia
quam magnitudo seculi in se pertraxit admiratio-
nem. Et quamvis sola argumenti dignitas, defi-
ciente in tantis rebus scriptoris ingenio, præstet,
ut dignum aliquo modo Serenissimâ Vestrà
Celsitudine hoc sit munus, attamen non displi-
cebit Serenissimæ Vestræ Celsitudini,
hic à me, quod est universæ Patriæ, votum piè re-
peti, ut, quemadmodum Regum Potentissi-
morum Avi & Parentis Vestri stupendis &
plùs quam Herculeis in bello laboribus illa per
GUSTAVUM ADOLPHUM MAGNUM
parta Sveciæ & gloria & commoda sunt conservata
& amplificata, ita, quæ à Potentissimi Paren-
tis Vestri, Regis Nostri Clementissimi,
paterna ac Regia cura pacatis temporibus in uni-
versum Regnum sunt profecta immensa ornamen-
ta, & in posterum (quod diutissime fiat, ardentis-
sime precamur) proficiscentur, ea à Serenissi-
ma Vestra Celsitudine Supremi Numinis
beneficio quondam facta recta præstentur, atq: au-
geantur.

Serenissimæ Vestræ Celsitudinis

Subjectissimus Servus

Georgius à Dunte.

I.

EXpeditionis, à quâ Gustavus Adolphus gloriosissimæ memoriæ Svecorum Rex Magni nomen meritò obtinuit, &, quod hanc securum est, diuturni belli, causas justificas dissertatione aliquâ diducturi, non nulla de bellorum causis in genere præmittenda esse putamus; quibus fundamenti locò positis, feliciter cætera, quæ in illustri hoc argumento occurrere possint, superstruantur. Quamquam est & materiæ hujus tanta dignitas, ut non nisi à summæ experientiæ atq; exacti judicii viris tractari mereatur; &, si vel maxime mediocri saltém esset momenti, nostris tamen, hoc est, juvenilibus viribus, qui Politicam scientiarum Regiam ex longinquo etiãnum veneramus, prægravis nimis multis de causis videtur. Verum uti nos hæc fateri jubet modestia, sic tantò impensior danda opera erit, ut, qui harum rerum fastigia non sumus adsecuturi, ad ea tamen adspirare voluisse videamur; voluisse quippe, etiã Sapientum judicio, in magnis sat erit.

II.

Inter cætera, quæ de bellorum causis differunt tam naturalium legum quàm civilium Doctores, non postremam est, quod haud quibusvis causis bella justificari doceant. Cum enim inter eos, quorum

lites nulli subjctæ sunt communi judici civili, bel-
 lum ultimum sit injuriæ, vel futuræ propellendæ,
 vel jam acceptæ resarciendæ, medium, rationis o-
 mnino est, non ad extrema ante provolare, quàm,
 quæ alioquin suppetunt mitiora, ut sunt tractatus,
 mediationes (ita dictæ) & hisce paria tentata fue-
 rint omnia; adeo ut, quæ justæ bello causæ esse po-
 tuissent, postquam frustra tentata fuissent omnia,
 illegitimæ vel saltem non sufficientes esse incipiant,
 si præpoperè nimis in armorum prætextum rapiantur.
 Quid quod quædam sint offensæ, quas, si me-
 deri aliâ re illis quàm bellò nequeas, pati omninò
 præster, quàm majore malò, bellò nimirum, ulcisci
 velle. Neq; enim naturæ leges, quæ servandæ
 in humano genere tranquillitatis causâ bella permit-
 tunt, ita ea licita esse voluerunt, ut aliquam tur-
 bandæ *frivolè* quietis potestatem facerent; quod fie-
 ret, si & levioribus de causis atq; nunquam non ob-
 viis capere arma, ex lege foret.

III.

Alium est, quod bellorum causas non'unius
 generis esse moneant. Sunt quædam causæ, quæ ad
 arma inferenda primos quasi motus belligerantibus
 subdidere; quas cum propalare vel prudentia vel non
 nunquam pudor prohibeant, aliæ plerùmq; causæ ex
 præsentium rerum habitu decerpuntur, à quibus præ-
 textum seu excusationem arma mutantur. Illæ *Græ-*
sio L. 2. de Iure Bell. ac Pac. c. 22. §. 1. *Synoria* cau-
 sæ dicuntur, Græcè *αἰτίας*; hæ autem *justificæ* sive
προφάσεις. In cujus rei exemplum cum ex recen-
 tiori historia adduci multa possent, ni odiosa illa
 forent; ad antiquiora circumspicienti inter fami-
 gere-

geratissimas expeditiones occurrunt *Cruciata* illæ, quarum causæ non tam apud Principes, qui eas susceperunt, quàm apud Pontifices Romanos, quorum instinctu atq; autoritate susceptæ, ac subinde repetitæ fuerunt, quærendæ sunt. Hi enim apud Cæsares aliosq; tanquam causâ gerendi belli utebantur indignatione, quod Palestina, terra tot ibi gestis rebus ac reliquiis sanctissima à Sarracenis innumeris atrociniis obsideretur. Dignam igitur bello causam, & Principibus Christianis lauream id præbiturum, si armis inde ejicerentur. Hæc justifica illarum expeditionum causa erat, nec ab ipsis Cæsaribus tum temporis in dubium vocata. Vera autem & svasoria erat, uti subsequens secula ex eventu judicarunt, incrementum potentia & autoritatis Papalis, quæ haud liberiùs & impunè magis, quàm exhaustis eum in modum Romani Imperii opibus, amandatisq; in remotiora loca Cæsaribus, aut per has curas unicè occupatis, augeri poterat. Vide de hisce *Voerium Disp. Select. Theol. P. 3. de Staulolatria.* & *Becmannum in Parabel. Polit. Dissert. 32.* Sed ut ad rem redeamus, uti diversissimæ plerumq; sunt bellorum justificæ causæ à svasoriis, sic non nunquam fit, ut eadem existant svasoriæ, quæ justificæ, quo in casu belli justitia eò|apertior esse solet.

IV.

Hiscè præmissis, propiùs ad propositum accedimus, ut quæ in genere de bellorum causis diximus, ea quomodo in suscepta à GUSTAVO ADOLPHO Rege in Germaniam expeditione occurrant, videamus; nimirum tum ex hujus belli historia, tum aliis

huc facientibus rebus monstraturi, cum datas Gustavo fuisse causas ad tantæ molis bellum sufficientissimas, tum easdem unicè ipsi præfixas fuisse. Cæterum non dubitamus, primam causam constituere, *Regni Svecici & Ejus Provinciarum securitatem*. Hujus causæ, antequam *justitiam* pervolvamus, prius spectanda erit *certitudo*. De quâ quidem nemini esse dubium potest, qui istius temporis, quò in Germaniam expeditio Gustavo imminebat, tum *Consilia*, tum *hostilitatis*, quas in Sveciam Domus Austriaca gerebat, expenderit. *Consilia* quod attinet, eò illatendebant, ut infestatò prius, mox occupatò Mari Balthicò, ipsam Sveciam, fundandæ in universam Europam Monarchiæ velut necessariam arcem, invaderet, ac servituti, oppressò legitimò Dominò, manciparet.

V.

Quod ut distinctiùs aliquantò ac firmiùs adferatur, quid propositi Ferdinando tum temporis Cæsari, quævis circa Mare Balthicum h. e. in oppositis Sveciæ litoribus occupanti, fuerit, inquirendum venit. Certè non ad illa, quæ justis armis aliquin proposita esse solent, per hos tumultus, quorum alii ex aliis ferebantur, collimatum fuisse, ex modò, quò isti agitabantur, licet concludere. Numquid enim hostibus arcendis hæc per inferiorem Saxoniam & contriguas illi oras opponebantur arma, ubi eò demum quisq; ordine arma arripiebat, quò exercitus Cæsareus eorum bonis ac libertati infestissimus adpropinquaret? Numquid infligendæ pænæ causa, cum arreptis semel armis, nec une successu

gru-

crudelibus, id causæ obtenderetur, quod impunè illic omnes perire nollent? Quid quod non solis armis, verùm & promissis, sollicitationibus, (insolitis contra hostes armis) ditionibus Principum immineret, dum modò ad propositum illæ facerent. Namq; ab Electore Brandenburgico petebat Cæsar, ut Borusiam parte ditionis Mexlenburgicæ compensandam Cæsaris esse vellet. A Duce autem Pomeraniæ poscebat, ut Ducatum suum Cæsari cederet, certis ad vitæ dies retribus contentus. Eòdem fine postrema hæc precariò, quò illa violenter gerebantur. Quis igitur ille? Eum Arnheimius prodidit, hæc adductâ ratione Pomeraniæ Ducem ad gratificandum Cæsari permoturus, nequid ipsius propositum circa proferendos Imperii limites impediret.

VI.

Sed apertioribus hæc indiciis evinci possunt. Dum enim in Germania sic à Cæsare ad Mare Balthicum omnia corripuntur, eòdem tempore in Mari Balthico classem, cui præficiendus erat Albertus Wallensteinus Fridlandiæ Dux, omni nisu agitabat Cæsar parare. Eò quibus artibus grassatus fuerit vid. Illustris *Pufendorffii* Comment. de Reb. Svecic. L. I. Sect. 53. qui hic per totum unus omnium instar historicorum esse potest. Nimirum jam à multo tempore in id incubuerant Hispani, ut ope Stephani Bathoris Pol. Regis classem Gedani erigerent. Et ne, quò hæc re colliparent proderent, simul ut Belgas à commerciis, quæ isthuc agitabant, h. e. à colligendis ad bellum contra Hispanos geren-

A 3

dum

dum viribus præcluderent, id à Gedanensibus pe-
rebant, ut, quod aliàs in Belgium defertur, in Hi-
spaniam navibus asportarent frumentum, quibus
navibus Hispani classem præsidariam addituri es-
sent. Verùm quàm his artibus in Mari Balthico
classem Hispani erigerè studebant, Daniæ primùm
postmodum Sveciæ frana injeçtura erat. Cate-
rùm uti tunc opponentibus se Gedanensibus parari
classis illa non poterat, sic eò majore ardore de eri-
genda illa solliciti erant Cæsar atq; Hispani, cum in
Germania omnia ad spem istam de subjugando Sep-
tentrione se se accommodarent, multis scilicet pro-
missis Sigismundum Poloniæ Regem demulcentes,
ut hiscè consiliis atq; conatibus faveret, subveni-
retq;. Quæ res non modò ipsa indicio erat, quid
domui Austriacæ consiliorum esset, verùm & quia
ad parandam classem illam Sigismundi non minus
nomine quàm auxiliò indigebant, hinc non pote-
rant non, quò in ista Rex promptius consentiret, a-
pertis verbis prodere, quid ea sub re mysterii late-
ret. Cum enim is infelici adversus Gustavum Re-
gem in Borussia bello distineretur, contendit apud
illum per Legatos Cæsar, ne in pacem aut inducias
cum Svecis consentiret, palam quidem pollicitus,
intra biennium Sveciæ & Provinciarum ipsi subje-
ctarum restitutionem; clanculum verò ab eodem
stipulatus, ut sibi quidem Sveciam subjugandam
concederet, (id quod paratà in Mari Balthico clas-
se & occupandis prope illud regionibus efficiendum
erat) pro quo ipsi Familiæq; hereditarium jus in re-
gnum Poloniæ, oppressâ ordinum libertate esset tra-

di-

diturus, uti habet *Pufendorfius* citat. Oper. L. 2.
Sect. 3. Hæc sunt ista Ferdinandi in Sveciam *con-*
silia, quæ Gustavum Regem adeo non latuere, ut
quantæ sibi cûræ essent, convocato ad deliberan-
dum de his ordinum delectu ostenderet: qui con-
ventus (cujus tamen altò silentiò premebantur con-
clusa) bienniò ante ipsam expeditionem factus,
maturâ & longâ deliberatione nec arreptâ subitò pro
excusando bello Sveciæ securitate Regem arma ce-
pisse docet.

VII.

Et uti plerumq; fit, clam sibi eos metuere, qui
hostilia adversus alia moliuntur, qui metus accensa
jam tum odia auget; sic Cæsar multis modis hosti-
lem in Sveciam animum ostendebat; quorum ali-
qui ad odium saltem explendum, aliqui ad sistendos
Sveciæ sub Gustavi Adolphi Regis auspiciis progres-
sus, faciebant. Illius generis erant, quod merca-
tores Svecici ad Germaniæ portus appellentes ho-
stium modò habiti, bona ac naves direptæ, ac ven-
ditæ essent. Hujus erant missæ à Cæsare in Borus-
siam adversus Gustavum Regem auxiliares copiæ, in-
terceptæ Gustavi ad Transylvaniæ Principem literæ,
prohibitio de parandis à Gustavo in Germania sup-
plementis, quæ tamen Polono concessa fuerant, im-
pedita Gustavum inter ac Polonos compositio. Istæ
hostilitates uti, quæ superiùs de inimicis Cæsaris in
Sveciam consiliis diximus confirmant; sic & ingen-
ti fastu, quicquid lenium consiliorum Gustavus ten-
taret, is despiciebat, ne lateret, quàm certæ felici-
tatis

tatis exitum suo Cæsar proposito polliceretur, quamq; ipsi instituta sua persequi fixum esset. Cum enim anno 1629 Cæsarei Legati cum Danis Lubecæ transigerent, Gustavus pacis amore & causæ suæ fiduciâ adductus Legatos eò miserat, qui tentarent, num orta inter se & Cæsarem dissidia, conventionem, tali tamen, quæ firma esset, componere liceret. Præmissus eò ex itinere Joh. Salvius, cum aliquem Lubecam ablegasset, tum ut Legatorum Svecicorum adventum Significaret, tum ut fide publicâ eorundem securitati caveri postularet, responsi loco minas retulit, extrema interminante Fridlando, si Legati Svecici in Germaniam ac præcipuè Lubecam accedere auderent. Quæ res Gustavum ut Legatos ex itinere revocaret permovit. vid. *Pufendorff. Cit. Oper. L. 2, Sect. 12.*

VIII.

Ex his igitur patebit *Regni Sveciæ securitatem* exegisse, ut repositis à Gustavo frustra aliis remediis, ad arma descenderet, adeoq; illam non sine causa primam famigeratissimæ hujus expeditionis causam à nobis statutam fuisse. Hujus causæ postquam certitudinem expendimus, nunc consideranda venit *Justitia*. Quæ quidem justitia tam est aperta, ut hoc loco consilii istius prudentia potius inspecienda videatur, ex quâ Gustavus, ut ut pacis amantissimus esset, decretò tamen inevitabilem ob necessitatem bellò, non expectandum in suo regno hostem, sed intrepida ei ob viam ferenda esse arma constituit. Ex postulabat id omninò accuratius expensa omnium circumstantiarum ratio. Jam jam enim fu-

rurum erat, ut occupatis ad M. Balthicum tantum
 non omnibus regionibus, prostratisq; qui in inferiore
 Saxonia opponere se ei possent, tuta omnia à tergo
 Caesar haberet, eò duriùs Sveciæ incubiturus, ubi
 translato in eam bello, pedem semel fixisset. Quæ
 quidem res maximi in bello momenti; quandoqui-
 dem factà in sua ditione belli sede, Princeps saepe ad-
 igitur, ut sua ipse, ne aliis cedant, perdat, ac de-
 struat: imo ubi infelix belli alea fuerit, quò se reci-
 piat, non est habiturus. Et comprobant hanc sen-
 tentiam tot seculorum ac regnorum historia. Si
 saltem quæ olim bellacis Gallia fata fuerint, recola-
 mus, quid illis, quæ cum Anglis seculò decimò quar-
 tò captæ fuerunt bella, magis exitiosum aut diutur-
 num fuit? quandoquidem per integrum ea seculum
 durarunt, donec sub CAROLO VII. Rege, auspiciis
 præsertim Puellæ Aurelianensis denuò emergeret,
 manente tamen per aliud adhuc seculum in Anglo-
 rum potestate portu Caleto. Si item qui hodie E-
 jus status sit, consideremus, mirum quantum ejus
 res promoverit, translatum in Hiberniam, quod ip-
 sa in sua viscera acceptura erat, ferrum; adeo, ut
 vel solum hoc Regnum, quantum in hostilem terram
 involare, quàm suam ab invasoribus purgare, præ-
 stet, utraq; expertum doceat.

IX.

Verùm nec justitia hujus causæ silentiò est præ-
 ermittenda. Et quidem, si quæ de impetita Sve-
 ciæ securitate superiùs diximus, consideremus in ge-
 nere, tam manifestæ est causâ Gustavi justitiæ, ut
 vel de ea dubitare iniquum sit. Cum enim natu

ræ sit convenientissimum, distincta constituta esse imperia, etiam ea sine quibus illa servari nequeunt, contra hostes adhibere à naturali æquitate non erit alienum. Quis igitur arma ad necessariam regni ac subjectorum defensionem arrepta, iniquitatis quid haberent? Speciatim verò, è quibus hanc causam Gustavo fuisse datam evicimus, considerantibus, non minus hujus causæ obvia erit justitia. Equidem consilia, quæ in Sveciam Cæsar agitabat, non videntur forte ea, quia nocendi tantùm innuebant voluntatem, ultionem merita fuisse, vel Gustavo solidam belli suscipiendi causam præbere potuisse. Verum uti in foro humano sola voluntas, antequam externis se prædere factis capit, pænis non potest reddi obnoxia; sic, ubi eam externo opere declarandi tale quis initium fecerit, quæ ad conjiciendum morali certitudine de malo animo sufficere potest, jam ille pænas, etsi nondum opere, ad quod instigabat, absoluto, meritis esse censetur. Hoc si negare liceret, nullus iudex ob malè agendi animum ac proæresin, ut loquuntur Philosophi, pænam præcipuè irrogaret, sed saltem ob facta sine animo aut voluntate considerata. Neque ulla, gravissima licet, crimina cæpta punienda forent, si interveniente, etiam præter opinionem agentis, impedimento plenum in actum non fuerint deducta. Justè itaque vindicatum se ivit Gustavus, cum non solum gnarus esset consiliorum ac propositi, quæ Cæsari erant, verùm etiam initia satis luculenta ad perficienda illa fieri videret; maximèque, cum non ignoraret, si hæc non statim interromperentur cæpta, irrita futura, aut saltem operosiora, quæ postmodum ad reprimenda pericula tentaturus esset.

X.

Hospitalitates verò istæ, (quas ex consiliis hujusmodi Sveciæ internecivis natas esse §. 7. diximus) tantæ erant iniquitatis, ut dignæ, quæ armis ex piantentur, censendæ sint. Si enim justum prorsus est, in apertum hostem pugnare, non minùs justum erit contra istum decernerere, qui quos mihi denegarat, eas hosti suppetias tulit. At misit Cæsar Polono, quòcum Gustavus bella gerebat, auxilio copias, & expetenti eas Gustavo denegavit. Præterea quicquid post id temporis, quo Cæsar Polonum, ad pacem propendentem magnis promissis ab eadem ineundâ revocavit, Gustavo in Borussia armorum fuit oppositum, id non minus Cæsari quàm Sigismundo acceptum ferri debere censendum est. Deniq; summam injuriam passus est Gustavus, quod Legati Ejus non solum non admissi, sed etiam datis loco responsi gravissimis interminationibus, ignominiaè habiti fuerint. Et licet ob non admissos Legatos simpliciter sufficiens belli causa non oriatur (quia id saltem inhumanitatis) attamen, cum illis summam ob necessitatem missis, non modò admissio denegaretur, verùm & ignominia inferretur; an injustus dicendus hanc ob rem Gustavi dolor, & indignatio, si vel in bellum ab eâ pertraheretur? Conf. omninò hic, quæ habet Præcl. *Thomasius* in Instit. Jurisprud. Div. L. 3. c. 9. de Offic. §. 15. 16. 19.

XI.

Sed frustra hæc allata omnia videri possent, si

quæ hic forte objicient alii negligeremus. Nimirum cum partim ea, quæ occupatis, circa Mare Balthicum regionibus Cæsar gesserat, non directè ad Sveciam pertinere viderentur; partim, quæ classem parandò agitaverat, in irritum caderent; voluisse Cæsarem, quicquid inde forte simultatis subortum fuerat, amicâ compositione, quæ Gedani instituenta erat, abolere, ni id per Gustavum Regem stitisset, quod frustranea illa pacis reducendæ conamina fuissent. vid. L. 2. Sect. 18. cit. Oper. *Pufendorff*. Verùm, ut ut speciosa hæc sint, paulò tamen accuratius inspecta corruunt. Etenim adpropinquabant jam arma Gustavi, quæ multis inelyta triumphis curtimeret Cæsar, omnino habebat. Sæpe Gustavus gravaminum suorum æquam quæsierat compositionem; miserat & ipse Lubecam, cum Cæsarem inter & Daniæ Regem pax fieret, (quâ de vide supra §. 7.) Legatos, qui ne quidem admissi. Hi igitur tractatus quo sint sine instituti, facillè esset conjectu, ni loco conjecturæ aperta ludibria prominerent, quæ admissa hic á Cæsare fuere; cum & Danum pacis arbitrum delegisset (cui tum quidem ob rationes status nil minori erat curæ quàm pax Svecis concilianda) & incommodis Legatos suos mandatis instruxisset, quippe quæ ne mentionem quidem Gustavi Regis continebant, Quod cum indignè ferrent Legati Gustavi, nova sibi á Cæsare petenda esse mandata, Cæsarei prætendebant; additò, quod vix ante autumnum adferri ea possent. Qua re Cæsaris circa hos tractatus animus detegebatur, nimirum, laborare Eum, ut tempus extraheretur, & Gustavi in Germaniam transitus tamdiu differretur, donec occupa-

cupatis à Cæsare omnibus, quæ tum adhuc intacta erant, difficiliora omnia Gustavo redderentur; stratagemate, multis familiari. Tales enim fictitii tractatus uti hostium vires explorandi, vel plures in suas partes pertrahendi ergò à non nullis instituuntur, sic etiam ad tempus, viribus colligendis necessarium protahendum sæpe inchoantur. Hâc arte adversus Bavarum in Bohemiâ Cæsaris res gerentem uti volebat Fridericus Elect. Palat. Cum enim Bavarus adversus illum copias moveret, misit ad Bavarum Tribunum militum, petitum, ut dies locusq; colloquio indiceretur. At dimissus est re infectâ Tribunus, Bavaro judicante, moras à Friderico quæri. Et sunt hac in re tractatibus similes induciæ. Sic Hispani cum bellô Belgicô tantum non fracti essent, inducias multô impensô labore cum Belgis pangebant, partim ad Batavos ab externo metu in mutua dissidia convertendos; partim ad tempus viribus recolligendis necessarium, captandum. De quibus induciis vid. *Baudius* Lib. sing. de Induciis Belli Belgici. Hoc itaq; institutô conventu cum nil minus quàm pacem intenderit Cæsar, iis, quæ supra attulimus, nil derogare poterit.

XII.

Restat saltem, ut quædam cum primâ hâc Belli Germanici causa arctè cohærentia, adducamus, anteqvam ad secundum progrediamur. Eorum alterum est, quod Cæsar exigentibus sic istis, quæ hæctenus exposuimus, consiliis, Meklenburgicos Duces præter jus fasq; ditionibus suis eiecisset. Cum

enim post victum à Tillio ad Lutteram oppidum Danum Johannes Albertus & Adolphus Friedericus Meklenburgici Duces præsidia Cæsaris, ut gratiam ejus captarent, recipere decrevissent, à Danico milite pleræq; ditionis partes præoccupatæ fuerunt. Id offensam in eos Cæsaris peperit, qui postea inita cum Dano apud Lubecenses pace, eos terris suis ejecit. Nec solùm ejecit, verùm etiam Fridlando primùm quidem velut pignoris locò, ob sumtus ab ipso in id bellum factos hunc Ducatum concessit, qui tamen postea pleni feudi loco in eundem transcriptus est. vid. sæpe Laud. Pufendorf. L. i. sect. 49. 52. Quam rem Gustavus partim ut in cognatos suos injuriosam, partim ut sibi in præjudicium factam, armis dirimere cogebatur. Quam enim allegarie Cæsar causam poterat, quod liberos Principes ditionibus suis non per tempus modò aliquod præcluderet, sed translatâ in alium plane possessione, privaret. Certè licet vel non constaret, Cæsari hóc factò opus fuisse ad occupandas Maris Balthici oras. nemini tamen sufficiens ad exornandam hanc rem color videri posset, quod Dani loca Cæsareis destinata, qui tamen æquè injustè illa erant occupaturi, præter Ducum Meklenburgicorum voluntatem invasissent. Eò igitur justius Gustavus fecit, quod ad restituendum suis ditionibus Duces, è quibus præter fas erant ejecti, animum intenderit. Hinc suis, quos Lubecam destinaverat, Legatis mandatum dederat, de urgenda æquis conditionibus Principum restitutione. Quin & ipso opere, quantum iis studebat, declarabat. Cum enim in Germaniam esset delatus Rex, ipse cum delecta manu eò tendebat.

bat; postea verò etiam edictò provinciales mone-
bat, ut ejectionis Fridlandi copiis ad dominos suos Le-
gitimos redirent, additis comminationibus, quod
immorigeros rebellium, instar esset habitu-
rus. Præterea Rostochienses singulari in
hanc rem edictò excitabat, sicuti & postea delatò ex
Svecia aliquot millium supplementò, partem Du-
cibus Meklenburgicis ad vindicandum avitam diti-
onem auxilio feliciter prorsus misit. Hæc enim
succincti terras suas recuperarunt. ceu patet ex *Pu-
fendorff*. Op. cit. L. 3. sect. 23. Nec solum eò nomi-
ne, quod oppressis auxilium tulerit, Gustavi hic se-
se tuetur justitia, verum etiam suscepta in gratiam
Meklenburgicorum Ducum molimina velut ad pro-
prium defensionem à Gustavo gesta considerari pos-
sunt. iis quippe expulsis, sedem sibi Fridlandus Ma-
ri Balthico, cui præfectus à Cæsare erat, vicinam
paraverat; unde & postea conamina, ubi ad matu-
ritatem cætera pervenissent, erat prolaturus. Et
si hoc posteriore sine lata Meklenburgicis auxilia
intuearis, eorum jam superius demonstravimus ju-
stitiam. §. nimirum 9.

XIII.

Alterum est, quod ob Stralesundam urbem Gu-
stavo Regi ac Cæsari intercesserat, Stabat Cæsari sen-
tentia, omnia ejus oræ invadere; hinc & Pomera-
niæ Ducem ad resignandum Ducatum suum opero-
se, uti supra dictum est, sollicitaverat, & ipsâ Strale-
sundâ auspiciis Fridlandi potiri satagebat. Namq;

is, inundatâ militibus Pomeraniâ, ingentem pecuniâ summam erogari sibi, & in urbem præsidia Cæsarea recipi, postulabat. Quorum posterius cum plane abnuerent Stralesfundenses; prius verò eâ lege promitterent, si de militum præsidiis istuc non capiendis ipsis caveretur: sufficere id ad urbis obsidionem legitimandum Fridlandus iudicabat; virium suarum fiduciâ tantum non in effrænem elatus superbiam, ut, si vel calo catenis affixa foret Stralesfunda, à se tamen eam inde detrahendam fremeret. Prout eodem fere tempore Legati Cæsarei, cum in conventu Lubecensi causam essent rogati cur tam malè Pomerianæ Dux haberetur, responsum dederant, quod is in salutem Cæsaris poculum cerevisiâ plenum bibisset. Caterum uti plura exstant enormia Fridlandi dicta (cujus Vitam ac Characterem vide peculiari libro descriptam à *Joſua Arndio*) sic eundem & hîc non ex rationis dictamine sed vastæ superbiæ impetu verba fecisse eventus docuit. Et tenebatur utiq; plurimis causis Gustavus operam dare, ne quæ occupatâ Stralesfundâ Fridlandus meditabatur, perficerentur. Si enim adfuisset obsidenti fortuna, nullis in Mari Balthico navibus aut portibus tuti quid futurum fuisset. Quæ quidem quanti momenti forent perspiciens Gustavus, nec non ut urbem sibi in Germaniam trajecturo percommodam tueretur, expetita ab ipsis Stralesfundensibus auxilia misit; quandoquidem frustra illa à Duce Pomeraniæ exspectabantur. Hæc autem Fridlandus, cui pro lubitu agenti, quisquis se opponeret, hostis erat, ita accipiebat, ut, hoc facto ruptam à Gustavo cum Cæsare pacem, adfereret. Quare eò moderatiore

ratione animo res suas gessisse Gustavus censendus est, cum securitatem regni sui (quam hactenus ceu primam suscepti ab ipso belli causam, una cum ipsi adjunctis rebus, consideravimus) armis quærendam decerneret.

XIV.

Jam ad alteram illam, quæ ad justissima arma Gustavum provocavit, causam veniendum est, quæ erat *defensio Protestantium tam religionis quam libertatis Politica.* Quæ de re nullum superesse dubium poterit, ubi demonstraverimus, primò cum Germaniæ non minùs in Ecclesiasticis quàm Politicis fuisse statum, ut alieno auxilio perquam indigeret; cum armis utrumq; adsertum ire licuisse, deniq; totis eò Gustavum viribus adspirasse. Et quidem statum religionis consideraturi, observamus in antecessum, postquam divinâ sic volente providentiâ, orti hodiè cum Augustana Confessione in Germania emerferat, semper in id clerum Pontificium incubuisse, ut quâcunq; ratione eadem denuò exstirparetur. Id verò, cum, non, nisi istis Germaniæ Principibus, qui Lutheranae religioni addicti armis reformatores arcere possunt, fractis, fieri posse videret; Cæsares, pro suâ apud plerosq; Principes Pontificios admissione efficacissimo imperii proferendi lenocinio ad bella intestina stimulavit, qui pro habitu rerum ad talia fundandæ Monarchiæ conamina apto, pronos se aut difficiles præbuere. Inde factum, ut Carolus V. superiori, & præsentì seculo Ferdinandus II. Cæsares civilibus erga Protestantes Principes bellis

implicarentur, quæ haud deferbuere ante, quàm illa, non proferendæ religionis zelus sed dominandi libido spe suâ deiceretur; monachis, dum turbæ istæ durarent, non cessantibus Cæsares vellicare, ne Ecclesiæ, propter quàm ditandam ipsi bellorum auctores exstiterant, obliviscerentur. Ex quibus sequitur, quæ ab Austriacâ domo Germaniæ religionis nomine illata fuere bella, ea ut ampliandæ potentia instrumenta consideranda fuisse; sicuti quæ Cæsares gerebant, iis pro evertenda Protestantium religione clerus Pontificius usus est; unde porro certum est; Principes Protestantes, quoties in tranquilla ditionum suarum possessione turbati armis Austriacis fuere, simul amittendæ religionis periculum adiisse. Quæ non esse gratis dicta patebit tum ex iis, quæ habet in *Introduct. sua ad historiam statuum in Europ. Dn. Pufendorf. c. 12. p. 883. verbis, Die Protestanten in Teutschland sind ziemlich stark* & sequent; tum ex quæstione illâ, quàm habet libellus *Thom. Campanella Monachi Dominicani, de Monarchia Hispanica locò appendicis, utrum sit optandum, universum orbem Christianum ab uno solo capite ac monarcha regi ac gubernari? ad quam responsurus inter cætera hæc ponit, Catholicorum quidem maximam partem ad hoc proclivem esse, ut tale imperium universale introducatur, ubi vide quoque cætera.* Conferri hic quoque merentur quæ de educatione *Ferdinandi 2. Cæsaris refert Pufendorfus Cit. Oper. L. 1. §. 21.*

XV.

Sed & sequentium rerum series eadem docebit.

bit. Postquam enim Trans actione Passaviensi anno 1552. Protestantium rebus pax data esset, nulla easquidem tam funesta ac antea, bella premebant; attamen, sub finem præcipuè istius seculi, priorum malorum metus ita Protestantes inter variis de causis crescebat, ut post eversam anno 1606. ob prohibitam Catholicorum processionem Donawerdâ Urbem, rebus suis prospecturi Principes quidam fædus, cui Unionis nomen erat, inirent. Neq; Catholici Cæsar præprimis, aliiq; lati rediisse laceßendi Protestantes occasionem, aliud huic opponere fædus, cui *Lige* nomen erat, negligebant. Utrimq; paratis armis, Bohemia religioni suæ vim inferri indignabatur, ideoq; Fridericum Electorem Palat. qui etiam caput Unionis erat, excluso Ferdinando 2. Regem eligebant. Adversus quem copias sub Bavarum auspiciis Cæsar mittebat, quæ superatò Fridericò, anno 1620. Bohemos ad officium redigebant. Electoratus autem, quo spoliatus Fridericus exsulabat, in Bavarum in laboris præmiũ & arctiorem cum Cæsare conjunctionem transferebatur. Illi verò, qui castra Friderici in Bohemia secuti erant, inter quos Christianus Brunsvicensis, Mansfeldius aliiq; à Cæsare proscripti, defendere se armis satagebant. Quorum tamen, post varias vicissitudines, eò deductæ res fuere, ut & inferior Saxoniam funesto bello corripere; quæ etsi adscito rebus suis moderatore Dano, in pejus tamen, prævalentibus sub Tullio Cæsareis, ruebat, adeo, ut extinctis non solum qui ante ab exsulibus Friderici partibus steterant, verum & Ducibus Meklenburgicis ac administratore Magde-

burgico proscriptis, Danum Cæsar adigeret, ut de pace ineunda, destitutis sociis, laboraret.

XVI.

Interea, quæ tot cædibus ac rapinis passim Germaniam repleverant copiæ, ubi adesse bellorum finis debebat, in immensum augebantur. Quin & Viennæ de quatuor exercitibus perpetuo alendis, & Italiæ, Galliæ, Germaniæ opponendis consilia agitabantur. Atq; eò justior metus illos quoq; Germaniæ Principes invaserat, quos hactenus bellum non tetigerat, quales erant Saxonicus, Brandenburgicus Electores, præprimis quando vel ipsi Catholici metuendas sibi Cæsaris crescentes opes putabant. Exstabant quoq; manifesta inchoatæ jam horum Principum erga Cæsarem subjectionis indicia. Patefcit hæc ex iis, quæ de conventu Mulhusino (in quæm Electores Cæsar convocaverat, solâ consultandi nullâ decidendi iis facultate relictâ) recenset *Pufendorf*. Op. Cit. L. 1. sect. 51. nec non ex eo, quod Electores Regis vocabulum in literarum ad Gustavum inscriptione omitterent; manifestô servitii, quo tunc à Cæsare premebantur, indicio, cujus affectus iræq; per omnia ipsis exprimenda erant. Neq; enim adeo ignari erant Electores, ut ad se pertinere controversiam, quæ Gustavum inter ac Sigismundum agitabatur, crederent; aut isti præjudicio fore, si Regium titulum ei tribuere abnuerent, qui viginti jam annos in regni possessione fuerat, quemq; omnis reliqua Europa Regem agnoverat. Uti judicat *Pufendorf*. Op. Cit. L. 2. sect. 14. Clariùs vero hunc Catho-
lico

licorum quoq; Principum metum indicat, quod cum in pangendis cum Polono induciis Rex occuparetur, Legatus Gallicus Hercules Charnassaus Gustavum ad Germanicum bellum sollicitaturus affirmaret, Galliae Regem á Bavaro ad Germaniae bellum inferendum expeti, quò potentiae Austriacae ipsis æquè ac Protestantibus formidatae occurreretur. Teste *Pufendorf.* Cit. Oper. L. 2. sect. 15. Quæ confirmabantur iudicio Regis Angliae, statuentis, ni Gustavus Caesaris potentiam imminueret, brevi ab Austriacis Belgas frangendos esse, quibus extinctis, irreparabile cæteris Protestantibus damnum impendere. Tam scilicet apertè illud bellum, ex odio in Protestantes natum, Caesaris opes & animum extulerat, ut nemini non Germaniae libertas periclitari videretur.

XVII.

Sic imminente Germaniae servitute, quid pariter religionem Protestantium maneret, ex iis facile est cognitu, quæ §. 12. præsupposuimus. Everso enim fulcro religionis, quod certò modò erat summa Principum eì addictorum potestas, ipsæ quoq; ruere necessum habebat. Sed ne quidem eò spes suas differre sacerdotes poterant, quippe qui, exhaustis Protestantum viribus, omnibus ad Caesaris nutum fluentibus, cum perpellebant, ut edictum de restituendis bonis Ecclesiasticis, quæ post Passaviensem Transactionem occupaverant Lutherani, cujuscunq; ditionibus subjecta forent, promulgaret; additâ executionis contra immorigeros comminatione. vid. *Pufendorf.* L. 1. sect. 57. Et cum postea in conventu Ra-

lisbonensi pleriq; Principes Cæsarem ad moderatio-
nem circa hæc adhibendam fere permovissent, iidem
tamen sacerdotes tandem pervicere. At in quàm præ-
sens periculum Protestantium religio atq; libertas per
hæc adducebatur? Si enim bona illa fuissent restituenda,
ubiq; heterodoxia Pontificia introducenda janua
patuisset; Religione verò eversa nec Politica eorum
superstes diu esse potuisset libertas. Consultum igitur
erat, quod Saxo aliiq; Lipsiæ de congerendis vi-
ribus, ad resistendum edicti hujus exsecutoribus ne-
cessariis, prospicerent; at non tam in promptu illæ e-
rant, quandoquidem in comparabilem in modum
Cæsaris copia Protestantium copias superabant, uti
& eventus, quàm parum in Saxone roboris adver-
sus Cæsarem esset, captâ à Tillio Lipsiâ testabatur.
Quod si igitur salva Protestantium religio esse, quod
si facta tecta eorum libertas servari debebat, alieno
Germaniæ auxilio certè opus erat.

XVIII.

Numquid verò (id quod jam expendendum ve-
nit) ad tale auxilium armis ferendum accedere Gu-
stavo per æquitatem licuit? Primò enim posset in ge-
nere dubitari, an justè egerit Rex, quod adversus Cæ-
sarem Germaniæ Principibus adfuerit. Ad quàm ri-
tè solvendam quæstionem, ut de Reip. Germanicæ
forma, ex qua relatio, quæ est inter Cæsarem atq; re-
liquos Principes, constare potest) agamus, pertinere
videtur. Verùm ut taceam Politicorum diversissi-
mas sententias esse, quorum alii illam ex Monarchia
atq; Aristocratiâ mixtam Remp. esse statuunt; qua in

sententia esse Thomas Campanella videtur. de Monarch.
Hisp. c. 23. p. m. 276. magis autem definite Henningius
Arniseus L. 1. Doct. Polit. c. 8. p. m. 194 alii Aristoc-
ratiam, uti Bodinus in suo de Rep. imò ferè in scri-
ptis suis ubiq; Conf. modo laudatus Arniseus Lib. &
cap. cit. p. 191. Quid de dicto sententiaq; decantata
Alberti Archiep. Moguntini, contententis hoc, de
qvo loquimur, imperium Aristocraticum esse, sentien-
dum sit, videri poterit Sever, de Monzambano de stat. Imp.
German. c. 6. §. 5 p. 186. nec non Hyppolitus ille per-
sonatus à Lapido etc. alii hic irregulare corpus quod
ad systema aliquod sociorum accedit, ceu vult idem
Monzambano in Lib. de stat. Imper. Germ. cap. cit.
6. §. cum primis q. nec non, quem cum præcedenti
eundem esse volunt, Dn. Pufendorfius in sua ad Histor.
Introduct. c. 8 §. 20. & cum eo, quod sciamus, fere
omnes, qui hoc tempore in hisce rebus sapere cen-
sentur altiùs. Sufficere ad præsentem solvendam
litem potest, quod extra dubium sit, non omnem
penes Cæsarem esse potestatem; h. e. etsi caput qua-
si quoddam Reipubl. universæ representet Cæsar,
eiq; non nulla jura in ordines junctim sumtos com-
petant, attamen si singula hujus corporis membra
separatim intuearis, ut sunt hic vel iste Princeps,
quemq; eorum in sua ditione summam potestatem
atq; dominium (quæ ipsis dicitur, **die hohe Lande &
Obriegkeit**) possidere. Hanc ergo cum extorquere
iis Cæsar cuperet, uti hætenus ostendimus, adeoq;
illam juris partem, quæ ipsius non erat, armatâ ma-
nu invadere vellet, habebant omnino Principes, cui
sua armis defenderent. Jam quibus licebat bellum
suscipi-

ſuſcipere, ad eos auxiliò levandos, cur non in Ger-
maniam transferre arma Regi licuiſſet? Neq; id ipſi ſal-
tem integrum, verùm & tantò majori gloriæ erat,
quãtò aliis auxilio venire, quàm ſua ſaltem tueri,
laudabiliuſeſt.

XIX.

Altera quæ ad hujus cauſæ juſtitiam pertinet
quæſtio eſt, an ſpeciatiim ob orthodoxam religionem
ſervandam arma capeſſere Guſtavo convenerit? Pro
illâ enim uti & pro Politica Germanorum libertate
pugnabat. Ad quã pariter haud difficile eſt re-
ſpondere, obſervatâ ſaltem benè diverſitate, quæ eſt,
hanc inter controverſiam & illam tam apud Theo-
logos quàm Politicos vexatiſſimam litem, utrum ali-
qui ad orthodoxam religionem vi adigi à Principe
poſſint? De quâ vide inter ceteros plurimos, *Hug.*
Grotium. de Jur. Bell. ac. Pac. L. 21. c. 20. §. 49. p. m.
345. ut & breviffimum quidem ſed eruditum & ter-
ſum (quod de eo Collectorum eſt judicium) *Anony-*
mi cujuſdam, de tolerandis Religionibus Libellum in
Act. Erud. Lipſ. menſ. Dec. A. M. DCLXXXIV. p.
647. Sed non eſt hujus loci. Is enim hîc ſtatus con-
troverſiæ eſt, an licuerit Guſtavo, eos, qui ob or-
thodoxam religionem erant opprimendi, armorum
beneficiò ab hoſtibus defendere. Et hoc licuiſſe
ipſi, ſana ratio aſſerit. Si enim innoxios quosq; ad
verſus aliorum injurias licet, ſi poſſis, tueri; cur non
& iis, quos ſub religionis nomine peſſumdare alii
cupiunt, præſidio eſſe deceret. Neq; enim Guſta-
vus Pontificiorum religionem armis extirpatum ibat,
ſed

sed Protestantes, quibus nil non ludibrii & crudelitatis, à Cæsare & Pontificiis imminebat, volebat ita adjutos, ut ab aliena vi tuti essent, neq; in religionis suæ exercitio, quod per tot lustra tranquillum ipsis fuerat turbarentur. Id quod & æqvitati naturali erat conveniens, & Transactionibus illis, quæ, post multa Germaniæ mala, cum Carolo V. initæ, sanctæ omninò & inviolabiles esse debebant.

XX.

Jam, quod & Germaniæ pernecessarium & in se justissimum erat auxilium, id quoq; Gustavo Regi ad bellum accedenti fuisse propositum, videndum. Illud verò non est adeò obscurum, ut per multâ eget probatione. Prout enim quæ Domus Austriaca agitabat perniciofa in Sveciam consilia, Gustavum, ut hostem sibi Cæsarem decerneret, movebant; sic afflictissimæ Protestantium res, ut, non expectatò domi hoste, transire in Germaniam eò minus dubitaret, efficiebant. Cæterùm, quæ hic nobis demonstranda proposuimus, ea cum per ipsius fortissimi Regis in Germania gesta, tum per illa quæ post fata ejus gloriosissima à Ducibus exercitus præstita fuere, declarantur. Ipsius Gustavi, si quàm brevissimè intueamur facta, (è quibus quid ipsi propositum fuerit, puto optimè posse concludi) reperimus, Gustavum, post ejectos è Pomerania Cæsareos, & missa Ducibus Meklenburgicis auxilia, summò studiò cum Saxone conjunctionem efflagitasse, quò, antequam plura Cæsar per Tillium, qui tum Saxoniam imminebat, moliretur, Cæsarem adorirentur. Hanc verò armorum conjunctionem variis sub prætextibus reuuen-

te Electore, quam tamen ob periculosum suarum rerum statum expetere ultrò debuisset, etsi eâdem tergiversatione uti postea Gustavus, mutatò Saxonis animò, potuisset, attamen irruente in Saxoniam Tiliò, & Electore ad angustias redactò, tam lenibus conditionibus suas Electoralibus jungebat copias, ut utrum Herois hujus magnanimitatem an propensam in Protestantes voluntatem magis mireris, incertum sit. Unius enim mensis stipendiis saltem pactis, quæ militi ipsius distribuerentur, copias suas Electorem adjutum ire jussit, cum durioribus utiq; conditionibus constitutum in summo discrimine & angustiis Electorem adstringere potuisset, vide hîc *Pufendorf. Cit. Op. L. 3. Sect. 17.* Anteqvam verò hæc Regis cum Electore conjunctio fieret, aliud summi erga Protestantes studii specimen Gustavus ediderat. Cum enim Magdeburgum obsideretur, nec Electores sive Saxonicus sive Brandenburgicus de auxilio Urbi ferendo multùm laborarent, Gustavus (cujus tamen non adeo quàm Electorum intererat, salvam esse Urbem) ut conjunctis Urbi viribus succurrerent, urgebat, non aliam ob causam, quàm quia omnibus injustè à Cæsare opprimendis, benè consultum esse volebat v. *Pufendorf. L. 3. sect. 14.* Qui Regis animus tum ex hujus generis factis aliis, tum ex cunctis heroicis ejus, quas per biennium in Germaniâ gessit, rebus, adeo emicuit, ut in prælio ad Lutzenam victoriæ immortuum, quisquis Protestantibus favebat, mirificò luctu prosequeretur.

XXI.

Ut ut autem fortissima Regis facta isto de proposito

posito testentur, iis tamen, quæ hic obijci forte possent, est quod satisfiat, Possent enim hoc ideo inter cætera in dubium quis vocare, quod Electoris Saxonici animus erga Gustavum, studia sua offerentem, plane alius erat, quàm esse erga Regem, cui Germaniæ libertas & Protestantium religio armis juvanda unicè præfixæ erant, debuisset. Cum enim Rex Gustavus apud Electorem Saxonicum, qui caput erat convenientium Lipsiæ Principum, per delegatos ageret, ut se partibus Gustavi addiceret, ac combinatis cum ipso viribus libertati ac religioni Protestantium studeret, recusabat conjunctionem Elector, hæc præter alias, erga Legatum Gallicum adductâ ratione, quod metueret, ne Gustavus proprium duntaxat negotium agens, ac desideriis suis potitus, socios destitutos Cæsaris libidini exponeret, ceu habet *Pufendorfius* Cit. Oper. L. 2. §. 5. Sed in promptu est adhæc responsum. Primò enim non ignorabat Elector, ubi hostilia Cæsar esset tentaturus, sibi Gustavi opem perquam fore necessariam; verùm quia Cæsaris blanditiis, quas crebras hæcenus senserat, si dem etiamnum habebat, nolebat cum Gustavo, aperto Cæsaris hoste, rem sibi esse. Tum concepta magnarum rerum spes, quâ se caput Protestantium Elector destinabat, ac Gustavum inter & Cæsarem arbitrum fore pollicebatur, Electorem impediabat, ne, in quo securitas sua sita esset, satis perspiceret. Nequaquam ergo solidò fundamentò, quæ de sua erga Gustavum diffidentia venditaverat, nitentur; quippe qui & postea, captâ Lipsiâ, quantum Gustavo filius sit, citatis impensè auxiliis ejus, declaravit.

Atq; hinc quoq; responsum fuit, quod dari debet objicientibus, Saxonem non diu, post extinctum Gustavum Svecorum adhæsisse partibus, sed iisdem ad Nordlingam victis, non solum cum Casare pacem Pragæ iniisse, verum & Svecos hostiliter habuisse, itaq; parum ipsorum operæ tribuisse. Non enim id circo ita Casari Saxo studebat, ac si pejora omnia à Svecis timenda Protestantibus forent, sed quia Elector Casareis irretitus adulationibus partim rerum suarum erat securus (quæ tamen regressis è Germania Svecis, pejori forte quàm ante locò fuissent) partim protrusis de summa rerum Svecis, altiora cæteros inter Protestantes sibi pollicebatur, vide de Pace hac *Pufendorf. L. 7. sect. 43*. Illud adhuc restat, quod, cum Gustavus Rex felicia latè circumferret arma, & Augustam Vindelicorum occupasset, Cives Augustanos in fidem Regis Regniq; Sveciæ jurare jussit, id quod à plurimis in eam partem accipiebatur, ac si Gustavus augustiora, quàm quæ in vulgus de belli causis sparserat, animò agitaret; uti habet *Pufendorf. Cit. Op. L. 4. sect. 15*. Verum uti cætera Regis Gustavi facta & plura longè & graviora, quid intenderit, evincunt, ut ab his minutis contra ista argumentari nefas sit; sic nil obstat, quin dicamus, per hanc rem non minus quàm per cætera Gustavum Protestantium libertatem & salutem spectasse; quandoquidem circa singularia ejusmodi, (quale hoc est, de Augustanorum juramento,) quid perspicacissimus Princeps intenderit, nemini facile est dijudicatu. Hisce igitur cunctis remotis, nil
reli

reliquum est, quò, ex Gustavi factis de proposita ipsi Protestantium religione & libertate vindicanda concludere prohibeamur.

XXIII.

Eadem plane evincunt, quæ post Ejus occasum Ducum fortitudine & Consiliariorum, præprimis Axelii Oxenstiernæ, moderamine gesta in Germania fuerunt. Quis enim negabit, non ad alia, quàm quæ in vivis existens Gustavus sibi proposuerat, pertenda; quantum inconstans belli fortuna permetteret, hos incubuisse. Jam verò eventus docuit, libertatem ac religionem Protestantium supra omnia iis curæ fuisse, eundem igitur Gustavo finem extitisse, censendum est. Hanc in rem si ipsorum hostium allegârim testimonia, nil dubii reliquum fore putaverim. Quem enim in finem Cæsar, postquam fractus bellò, de pace cum Svecis ineunda cogitaret, totus per suos tentabat, ut separatim cum Svecis, non admissis ordinibus, transigeret; nisi, ut Svecos, quos pro istorum libertate laboraturos noverat, ab ordinibus sejungeret: quod perspicientes Sveci, ne frustra impensi tot in Germaniâ labores essent, simpliciter abnuebant. Vide, quæ acta inter Joh. Salvium Svecicum, & Lutzovium Cæsareum Legatos, (quorum hic externam imperii pacem ab interna separatim faciendam cupiebat) ap. Autor L. 13. sect. 79. nec non, quæ eodem librò sect. 70. afferuntur, in hunc fere modum; deprehendisse Sveciæ tum temporis Rectores, maximi Cæsaris interesse, ut ab ordinibus Sveci per secretos tractatus avellerentur, ideoq; in Cæsaris circa hanc

rem petita nequaquam esse consentiendum. Et quid
 iis contentionibus atq; laboribus clarius argumen-
 tum desiderari possit, quibus Osnabrugæ Svecorum
 Legati usi, eò rem deduxère, ut inter alia, quæ in fa-
 vorem Protestantium Principum sanciebantur, ex-
 pressè, ringentibus licet Pontificiis, statueretur, ut
 non modò, in quæ per Transactionem quondam
 Passaviensem A. 1552. convenerant, firma essent ac
 immobilia, verùm etiam bona Ecclesiastica, & quæ
 horum gratia in Politicis mutata, in eum statum,
 quò die primò Januarii Aò. 1624. fuerant, restitue-
 rentur; uti est in *Art. 5. Instr. Pat. Osnabr.* Atq; sic
 ipse belli exitus, libertatem & in Politicis & in Ec-
 clesiasticis Protestantibus confirmandam veram bel-
 li causam fuisse evicit; quam una cum servanda se-
 curitate Sveciæ (quò & ejectio Meklenburgicorum
 Ducum & cæteræ Cæsaris in Sveciam hostilitates
 pertinent) geminas Gustavo belli causas & justissi-
 mas & verissimas fuisse, putamus ex hactenus dictis
 posse constare. Et servabunt hanc servatæ & Sve-
 ciæ & Germaniæ gloriam Serenissimæ memoriæ Re-
 gi, quotquot sequentur secula; sicuti eadem Poten-
 tissimorum Ejus Successorum heroica facta
 ad seram usq; posteritatem sunt deductura.

Ad Dnum Respondentem

προς Φώνησις;

Quid inter ipsos Seras, & ultimos
 Indos agatur; Quæ mare Caspium,
 Quæ Ponticum, quæque æqvora Cretica
 Secent carinæ, sunt quibus unum opus

Est

Est sciscitari; Funera Troica
Ploramus, urunt quas & Achaici
Ignes vetustas Iliadum domos.
Quid octo lustris, plusque per Italas
Gentes, & Urbes per Siculas, simul
Suisque in undis gesserit Afer, &
Romana pubes, quærare proderit?
Cur tam frequentes, Annibal, Asdrubal,
Prudens Camillus, Scipio, Regulus,
Sunt fabulæ ti? Nataq; siccine
Sordent domi annon? Non tibi mentis id
Perampla nostri spes Heliconis O
DUNTI; Gothorum, nataq; Tu domi
Exempla profers, Numina suspicis
Perdiva Regum, celsaq; nomina
GUSTAVI ADOLPHI, nec CAROLUM minüs;
Hæc, inquam, adoras, hæc Tua fabitur
Devota doctè pagina, quam exhibes.
Ad sint faventes ausibus his precor
Phœbus, & almæ Castalides, Tua &
Cingant corollâ tempora floridâ.

*Animi quàm lyra fide inten-
tiori data*

S. Dimberg,
Præs.